



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1595. usque ad annum 1600

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1773

VD18 90118677

§. 24. De subsidiis contra Turcas in Comitibus Ratisbonensibus deliberatum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67263](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67263)

Sæcul. XVI.
A.C. 1598.

bat. II. Franciscus d'Escoubleau de Sourdis, natione Gallus, Burdegalenſis Archiepiſcopus, Cardinalis titulo SS. duodecim Apoſtolorum, poſtea ſancti Marcelli, & S. Praxedis. III. Alexander de Eſte Ferrarienſis, Cardinalis Diaconus ſanctæ Mariæ in Via lata. IV. Joannes Baptiſta Detus Patritius Florentinus, Cardinalis Diaconus S. Adriani, poſtea ſanctæ Mariæ in Coſmedin.

§. XXIV.

De ſubſidiis contra Turcas in Comitibus Ratiſbonenſibus deliberatum.

Thuan. l. 6.
Struv. hiſt.
Germ. ſect.
10.

Interea ad proximam hujus anni expeditionem adverſus Turcas in Hungaria bellicus armorum apparatus toto ſtudio urgebatur, ac præprimis Rudolphus Cæſar in Comitibus, quæ Ratiſbonæ anno priori menſe Decembri fuerunt inchoata, per Mathiam Fratrem ſuum Auſtriæ Archiducem, exeunte menſe Februario Principes ibidem congregatos ad auxilia contra Turcas ferenda ſollicitabat, eis exponens, quod hætenus ob pecuniæ penuriam, & ſuppeditas aut parcius, aut tardius latas bellum inſaſto Marte geſtum fuerit, præcipue etiam eo ex capite, quod ob ſtipendii defectum veterani milites ſæpius exauctorari, novosque tyrones militaris diſciplinæ ignaros iterato conducere oportuerat.

tuerit : ut ergo huic malo remedium **Sæcul. XVI.**
 opponeretur, Mathias Cæsaris nomine **A.C.1598.**
 ab Imperii Principibus postulabat, ut
 deinceps non in paucos menses, ut antea,
 sed saltem in quinquennium, ad alen-
 dum exercitum subsidia conferre, &
 quotannis viginti quinque mensium sti-
 pendia pendere, nec non duodecim pe-
 ditum, & quatuor Equitum millia pa-
 rata habere vellent. Ad hanc Cæsaris
 petitionem Imperii Ordines post aliquot
 dierum consultationem quinquennale
 tributum, in singulos annos pendendum,
 præter petitas copias spondebant, de-
 cernentes, ut interim stipendia anno
 millesimo quingentesimo nonagesimo
 quarto promissa, ac nondum soluta nu-
 merarentur : denique etiam sancitum,
 ut contra morosos executionis vis lo-
 cum habeat, nec non auxilia ab exteris
 etiam Principibus petantur, & monetæ
 abusus tollantur: Verum Protestantium
 Principum nonnulli promissi fidem vio-
 lantes eodem adhuc anno Francofordiæ
 conventum habebant, ibidemque, nec
 non sequenti anno decernebant, quod
 promissa subsidia contra Turcas minime
 pendere velint, sed potius contra sum-
 mum Pontificem, cujus potentiam ob
 recuperatum Ferrariæ Ducatum magis,
 magisque excrescere querebantur, ad
 sectæ suæ conservationem una omnes

Sæcul. XVI. A. C. 1598. conspirare malint: inde ergo ortum traxit nova illorum unio, quæ progressu temporis totam Germaniam maximis calamitatibus involvit.

§. XXV.

Jaurinum a Schwarzenburgo Baro Turcis ereptum.

*Thuan. l. c.
Spond. hoc
anno n. 19*

Postquam Principum Legati Ratisbona recesserant, præter omnium expectationem Pragæ nuntius venerat, significans, Jaurinensem urbem ante triennium ab Hardecco Comite Turcis traditam, & a Cæsareis anno priori incassum obsessam ab Adolpho Barone Schwarzenburgo Comorensi Præfecto astu captam fuisse; strenuus enim Bellidux dudum de hac urbe Turcis eripienda consilia agitans summo silentio ac celeritate necessariis ad hanc expeditionem comparatis Comora proficiebatur, trajectoque Danubio equites suos præmiserat, qui iter explorarent, atque obvios quosque interciperent, ne ejus adventus hosti innotesceret: cumque Turcæ firmitate urbis nimium confisi negligentius eam tuerentur, Vobecurtio, & Caviaco datum est negotium, ut binas machinas evertendis portis, ac mænibus aptas clam admoveo curarent: insuper ad hujus propositi executionem in bellico Senatu decernebatur.